

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 2754

**Auteur(s) :** Hémery, écuyer, Vaunoise (seigneur)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, Saint-Martin, dépendance Saint-Martin de Marmoutier (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1281, août

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Fieffe par Hémery de Vaunoise, au prieur et aux moines de Saint-Martin-du-Vieux-Bellême, d'une pièce de terre sise en leur fief de Vaunoise, pour cinq sols de rente annuelle.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Barret Philibert (Abbé), *Cartulaire de Marmoutier pour le Perche*, Mortagne-au-Perche, Meaux (Documents sur la province du Perche ; 3e série, 2), 1894, n° 275, p. 256-257.

Texte établi d'après a

Ego Hamericus, armiger, dominus de Valnoysia salutem in Domino. Noveritis quod ego concessi et tradidi viris religiosis priori et monachis Sancti Martini de Veteri Belismo et eorum successoribus quamdam peciam terre, in feodo meo de Valnoysia sitam, inter terram Guilelmi Caudel, ex uno latere, et ex alio latere, inter vineam domini Gaufridi decani Belismensis, et Radulphi Labadiére et se albotat, ab una parte, chemino per quod itur apud Valnoysiam, et ex alia parte, terre dicti Herbeloti Gace, tenendam et habendam imperpetuum libere, pacifice et quiete eisdem priori et monachis ejusdem loci et eorum successoribus, pro decem solidis monete currentis patrie anni redditus, mihi et meis heredibus ab ipsis religiosis et suis successoribus dictam peciam tenentibus et possidentibus in festo sancti conardi, seu infra octabas ipsius festi, annis singulis reddendis apud Valnoysiam et solvendis. Ita tamem quod prenominati religiosi totam supradictam peciam terre prout se portat pro dictis decem solidis anni redditus turonensibus, pro omni tallia, racheto, exactionibus, redibentis et pro omnibus aliis serviciis quibuscumque ad me vel heredes meos, et ad quoscumque alios, tam capitales dominos quam eciam feudales spectantibus quoquo modo, possidebunt et tenebunt. Ad servicia autem quecumque, tallias, exactiones quascumque, tam capitalium dominorum quam eciam feudalium, acquitanda, si que evenire contigerit quacumque ex causa, residuum hereditatis mee et heredum meorum ego predictus Hemericus honoro et obligo ac eciam suppono, ita quod predicta pecia terre ab omnibus serviciis, tallis, redibentis, exactionibus quibuscumque capitalium dominorum vel feudalium quita sit penitus et immunis. Adjectum eciam fuit quod ego Hemericus et heredes mei, in dicta terre pecia nec in hebergamento ibidem constructo seu construendo, nec eciam in aliquem ibi commorantem, ulla de causa, nullam poterimus exercere justitiam vel distinctum, nec aliquid capere vel facere capi, pro redditu ad dictum terminum non soluto vel pro emenda reddere non soluti. Preterea si contigerit aliquem latronem in manifesto reatu latrocinii insequi cum clamore et tumultu, ipsum ego Hemericus et heredes mei sequi poterimus et in dicto hebergamento capere, si illud intraverit vel ibi fugerit, et si ipse per servientes dictorum religiosorum captus fuerit, mihi vel heredibus meis reddetur ab eisdem, nisi manus servientis dictorum religiosorum evaserit ipse latro. Ad hec autem omnia et singula tenenda firmiter et fideliter

ac eciam immobiliter observanda, defendenda et garantizanda, contra omnes et erga capitales dominos et feodales  
deservienda, ego Hemericus predictus hereditatem meam, me et heredes meos et bonorum meorum possessores  
ante dictis religiosis et successoribus suis obligavi per presentes litteras sigillo meo sigillatas, quas eisdem contuli  
in hujus rei testimonium et sessinam.

Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> octogesimo primo, mense Augusti.